

1844

1844-45

Rubis



UNIVERSIDAD LITERARIA DE BARCELONA.



DISCURSO INAUGURAL

PARA LA

SOLEMNE APERTURA DE ESTUDIOS

EN EL AÑO ACADÉMICO DE

1844 á 1845.



PROGRAMAS DE ENSEÑANZA.



LISTA

DE LOS PROFESORES, SU CALIDAD, ASIGNATURAS QUE DESEMPEÑAN,
Y NÚMERO DE DISCÍPULOS MATRICULADOS EN CADA AÑO.

1845



BARCELONA :

IMPRENTA DE TOMÁS GORCHS.



1845



Upev - 1

DE INGENIORUM DELECTU
AD DISCIPLINAS LITTERARUM DISCENDAS
AMPLIFICANDASQUE

ORATIO

QUAM IN SOLEMNI STUDIORUM
UNIVERSITATIS LITTERARLE BARCINONENSIS
INAUGURATIONE PROTULIT

Josephus Simon Rubis et Alemany,

*Præsbiter, juris civilis Doctor, Instituti barcinonensis
Director et in eadem Universitate Humanarum litterarum
professor.*

KAL. NOVEMB. AN. MDCCCXLIV.



BARCINONE:
APUD TYPOGRAPHIUM THOMAM GORCHS.

1845



DE ILLUSTRIUM BELGII

QUINTILIO

Nihil præcepta atque artes valere nisi adjuvante natura. *QUINTIL. lib. 1. cap 1.*

DE INGENIORUM DELECTU

AD DISCIPLINAS LITTERARUM DISCENDAS AMPLIFICANDASQUE

ORATIO.

PRÆSES AMPLISSIME,

Mihi quidem de dignitate et sapientiâ vestrâ, de auctoritate huius loci, de ratione litterarum optimarum, de re tandem hodierno die vobis agendâ cogitanti, quàm plurima sese offerunt argumentorum genera et vobis non aliena, et isto consilio digna et juvenum studiis non parùm accomodata. Antiquorum legislationis cùm recentiorum meditata comparatio, auctorum selectio, quæstiones maximi ponderis forsitan prætermisæ, nihilominùs totis viribus totoque ingenio eliminandæ ingenio vestro indulgerent, plurimùmque vobis afferrent voluptatis; at cùm mihi præstò revera sint, quò meditantur studia, vigilæ, conatus et diligentia vestra, ea, putavi, die hodierno prætereunda, eoque totam confe-

rendam esse orationem meam, quò præsens studiorum nostrorum ratio, optimarum litterarum decus et huiusce Universitatis litterariæ ornamentum omninò pertinent. Nihil novum, nihil inauditum, nihil ingeniosius excogitatum sum in medium prolaturus; at rem tamen pace vestrà agere aggredior, in qua litterarum decus, patriæ robur, gloria nominis vestri, populorum comoda cum publicà utilitate defenduntur; rem, inquam, quàm propriam huius Universitatis, cui commissa est litterarum dignitas, ideòque munus gravissimum extinguendi atque delendi stirpem et semen eorum omnium, quæ studiorum progressibus obtrectant et ornamento.

Hæc est provincia vestra, A. PP., et quam præsens studiorum nostrorum ratio efflagitare videtur: memores enim esse debetis, opinionem sensus nostros pervertere, opinionem rationis usum præoccupare, eamque, quam suscepi refutandam nonnullorum sententiam litteris infestissimam, jam inveteravisse; ideòque cognoscite, hoc non sine causâ hodierno die à vobis esse agendum. Quæ illustrantur, erumpunt omnia; ni aut ea, quæ passim passimque dicuntur, non audiatis; aut ea, quæ videntur, dissimuletis, quod à vobis abhorrere, reverà scio. Venio igitur ad ea potissimùm convellenda, quæ litterarum splendorem, grave dictu est, sed dicendum tamen, societatis benè moratæ stabilitatem, mores religionemque tandem sacerrimam pe-

tunt : ad ea, inquam, quæ conatus vestros, A. PP. redderent inanes, fallaces optimorum parentum cogitationes et imperantium studia omninò vacua, hanc unam statuendo positionem : « *Ingenia deligenda esse ad disciplinas litterarum discendas amplificandasque.* »

Nescio quo misero fatalique reipublicæ litterariæ temporum nostrorum fato evenit, ut non paucissimi sibi suadeant et prædicent, juvenes nostros ad optimas et mechanicas artes cæteraque litterarum studia naturam peperisse, et servasse fortunam. Nullum studiorum genus, ut audire est, effingi potest et excogitari, in quo non fateantur ipsi, eos primas agere, abstrusa penitè et recondita patefacere eosdem eâ quidem facilitate evidentiâque, quâ versatissimus anatomix doctor tritas vulgaresque corporis partes detegit.

Ea quorundam insedit cum magnâ litterarum pernicie opinio, adeò facilis et obvia earum comparatio ætatis nostræ nonnullis visa fuit. Ne cui vestrum mirum esse, videatur, hæc à me ita dici; patent, tenentur. Quid sibi volunt, quæso, infantuli propemodùm benemulti, qui et amicorum litteratorum, et parentum, et, obstupescite, obstupescite semel atque iterùm, magistrorum illecebris laudum irretiti, linguarum, rethorices, philosophiæ castra adeunt; Justiniani, Galeni, Augustini cæterorumque huiusmodi aditum petunt? Quid simultanea et diversa ju-

ventutis studia, quæ singula totum hominem, ut aiunt, postulare dicuntur, nullâ ingenii sui illorumque naturæ habitâ ratione? O tempora! Miserrimi homines, qui istiusmodi vobis suffragantur! Vos quidem, A. PP., virique sapientes, qui hunc senatum circumstatis, satisfacere muneri vestro videbimini, si id genus litteratorum placita inania prorsus mecum faciatis, quem ad finem animis mentibusque vestris mandare vellem, quod crescit in dies singulos huiusce gymnasii auditorum numerus, intestinam quotidie perniciem litteris quasi molientium.

Ego autem nihil dicam ad ea, quæ sunt paulò antè in medium adducta; attamen ad rei veritatem pertinere, arbitror, extare, quænam fuerint de hac re antiquorum judicia. Cicero ait, « naturam primò ad dicendum vim maximam afferre; » Seneca : « Germanicum Augustum reddidit natura ducem præclarissimum, poeta esset cæteris præstantior, si dii immortales eodem ad poesim, quo ad bellum exornarent ingenio. »

De Philippo Macedonum rege Polybius: « omnes à naturâ accepit ad imperandum animi dotes quàm eximias, » et tandem Quintilianus ait, « nihil precepta et artem valere, nisi adjuvante natura. » Ex his igitur causa enciclopedicorum, quæ sit, videtis : nunc autem quid agendum sit, cum Fenelone et Lokio breviter consideremus. « Qui juvenes, aiunt, educandi causâ suscipiunt, præ oculis habeant indolem, conditionem, ca-

racterem, ingenium naturamque eorum, si provinciam suam negotii et aleæ plenam in votis habeant feliciter obire, quibus miserè sublati, oleum et operam perdent, et naturæ vim maximam frustrâ inferre videbuntur. »

Cui igitur ex tot tantorumque hominum sententiis, ex hæc virorum de republica litteraria optimè meritorum consensione, causa dicta penitus non videbitur, si nihil aliud, nisi de ingeniorum electione agatur, ad studia litterarum addiscenda atque amplificanda? Nunc, ut à vobis, A. PP., quamdam propè justam litterarum querimoniam detester ac deprecet, ad rem propriùs accedam, ne aut cuiquam aliqua dubitandi ratio ullo unquam tempore esse possit, aut litterarum dignitas vobis non vindicata palàm esse videatur.

Varia esse hominum ingenia, multiplicia, haud parùm dissimilia, res est nemini obscura, et si aliter quis sentiat atque contendat, ex suo iudicio facile revincetur. Alios videmus homines hebetes, nullâ propemodùm mente exornatos, alios mediocri, alios eo ingenii acumine, cùm quibus mentes duntaxat beatissimæ possunt conferri; alios omni ferè memoriâ ita destitutos, ut ea etiam, quæ crebris sermonibus usurparunt ipsi, ne cogitavisse quidem videantur, alios intelligendo minùs acutos, memoriâ tamen pollentes facillimâ, alios discendi studio jàm natos; alios statarios, alios obliviosos, alios

deniquè est valere retinendi facilitate, ut Ciri adinstar, aut Milciadis, aut Crassi, omnia semper aut visa, aut patefacta sint, aut illustrata. Cum hæc igitur sit communis hominum conditio, ut patet ex gravissimo sanctissimoque ætatum omnium iudicio, alia quæram argumenta si quæ possum, causam studiorum acturus?

Sinite, A. PP., hoc loco me non præterire Platonem, quo scientior hæc in re nostrâ nunquam fuit, qui ingenia hominum cum metallis comparare fuit solitus, quorum alia quidem aurea, alia argentea, alia ferrea, alia plumbea, partim stannea, partim saxeæ, partim variis conflata metallis esse, dicebat. Quis est tam rerum omnium ignarus, vel humanæ naturæ tam expertus, qui ne legerit quidem apud antiquos, ejusmodi fuisse olim, sive cœli aeris, sive alio quovis regionis vitio, hispanos, ut nonnulli contenderunt italorum, bæotios atque tebanos, quos multum roboris, ingenii minimum habuisse legimus? Nonne huic ipsi causæ concessum est, thesalos fuisse beneficos, leontinos petulantes lascivosque, syberitas turgidos, millessios delicatulos, thraces callidos, galatas stolidos, gallos natos rebus agendis, hispanos Achillis instar, impigros, iracundos, inexorabiles, acres, et tandem britannos splendidos et sumptuosissimos? Quis nescit, amabo, quæ de thracibus asseruit Aristoteles, eos nempe ingenio fuisse tam exiguo et memoriâ, ut ne quater-

narium quidem numerando transcendere valerent? Quot, quantaque exempla nobis suppeditat experientia, quorum auctoritatis et iudicii pleni omnes sunt libri, plenæ doctorum nostrorum voces, atque plena vetustas?

Liceat mihi vestram in mentem revocare, quæ memoriæ tradidit præclarissimus inter hispanos, Joannes de Huerta, cuius hæc sunt concepta verba : « ingeniorum delectus accuratè diligenterque habeatur : doctor animadvertat præsertim auditorum ingenia, examenque fiat à teneris annis. » Et meritò, quemadmodum enim unaquæque regio suos abundè præstat fructus, ad quos natura præparavit eandem, et aliundè eos quærere, res esset et haberetur amentis; ita pariter quodquam studium suum exposcit ingenium, quod unum nihil relinquere potest desideratu. Quodnam feremus de eo iudicium qui in Hispania nostra dasypum hollaldensem, aut dedelfym brasiliensem, aut struthionem inter saxa, aut crotalum inter gelu desideraret? Nemo esset tam sui dissimilis novusque, qui istiusmodi voluntatem omnibus non putaret et fateretur omninò ridendam. Quid ergo de illis dicemus, qui juvenes nostros ad omnia studia scientiasque contendunt esse paratissimos? Scitis perbellè, A. PP., tenetur.

Quo igitur animo illam vobis ferendam putatis opinionem, studiorum naturæ noxiam, reipublicæ litterariæ pestem, ætatis nostræ dede-

cus, publicæ utilitatis perniciem, populorumque etiam tranquillitati infestissimam?

At quis dicet, jam inveteravit.

Ego autem vobiscum illis dico, & hæcne opimandi ratio est litteris ideoque omnibus pernicioſa? Si res ita se habet de qua dubitat nemo, omni industria, viribus, cura, vigiliis et diligentia multò magis nobis esse radicitus eradicandam, arbitror. Quid est quod historici filios Ciri laude, prædicatione, monumentisque patris non putavere decorandos? Quænam fuit potissimum ratio, qua Licurgus et Plato præcipuum imperatoris munus juventutem esse, dixerunt? Quid est quod Philippus macedonum rex omnia Alexandri spectet ex Aristotele, ejusque lectionibus? Res est luce meridiana clarior, sciebant profectò, sciebant istiusmodi præstantissimi viri, primas juventutis ideas nullo unquam tempore deleri. Quid ergo hisce nostris temporibus est litteris spectandum de juventute nostrâ, cui, nunquam satis deplorato ipsius, litterarumque fato, ad singulas artes scientiasque se natam prorsus fuisse, videtur? Nihil durius, nihil acerbius, nihil noxius studiis, eorumque ornamento fingi poterat et excogitari.

Scio tamen, tantam in vobis, A. PP., fore diligentiam, tantam in sapientibus sedulitatem, tantam in imperantibus consensionem, ut ne per juventutis animos ulterius progrediatur infesta opinio, ea in dies delabatur, et unusquis-

que, pro sapientiâ vestrâ, illis studiorum litteris operam navet diligentissimam, ad quas natura certo peperisse, videatur. Quòd si, id quod sentio, fas mihi esset in mediùm proferre, de ingeniorum electione, quidquid voluerint alii, ad litteras discendas amplificandasque, ea dicta vellem potiori jure, quæ oraculum dixit de coliseo Trajani, scilicet : « dummodò stet coliseus, stabit Roma ; si ceciderit, Roma cadet, cùmque ceciderit Roma, mundus est in æternum periturus. »

DIXI.

